

e! in Evangelio ad beatam Mariam angelus dicit : *A* *Et regni ejus non erit finis* (Luc. 1, 33).

89. Hac oratione expleta, commiscens sacerdos Dominicam oblationem, ut calix Domini totam plenitudinem contineat sacramenti, tanquam per ejusdem mysterii copulationem imprecatur Ecclesiae pacem, dicens : *Pax Domini sit semper vobiscum*, cui tantum bonum Ecclesia imprecatur, respondens : *Et cum spirita tuo*. (Aug., *serm.* 227.) Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem temporis non habet, et ipsa est omnis piæ actionis intentionisque perfectio. Propter hanc pacem in eum credimus et speramus, et amore ipsius, quantum donat, accendimur : propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit, quoniam qui adhæret Domino unus spiritus est. Imprecata igitur pace, incipiens a sacerdote, dat sibi mutuo omnis Ecclesia osculum pacis, ut, omnibus vera pace unitis, fiat in eis locus Dei, sicut dicitur in psalmo : *Et factus est in pace locus ejus* (Psal. LXXV 13). Et impleatur in Ecclesia quod alibi Psalmista dicens : *Deus in loco sancto suo, Deus inhabitare facit unanimes in domo* (Psal. LXVII, 47). (VIGIL.) Et hoc utique ex traditione apostolica servat Ecclesia, cui frequenter ab ejusdem apostolis dicitur : *Salutate invicem in osculo sancto* (Rom. XVI, 16), id est osculo vero, osculo pacifico, osculo columbino, non ficto et subdolo, quali usus est Joab ad occidendum Amasiam, quali Judas ad tradendum Salvatorem, quali utuntur hi qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant invicem qui non diligunt verbis nec lingua, sed opere et veritate.

90. Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, et cantando oratur dicentibus : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, etc. (Aug.) Nullus enim tollit peccata,

nisi ille de quo dictum est : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. (VIGIL.) Quomodo autem apostolus Petrus ostendit, qui ait : *Non corruptilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi* (I Petr. 1, 18). Et in Apocalypsi Joannes apostolus : *Qui dilexit nos, inquit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (Apoc. 1, v), quando sanguinem suum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque nostrum in mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur.

91. Post hæc ergo sumpta eucharistia, id est bona gratia, gratia enim Dei pro omnibus gustavit mortem, et celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus *Amen*. (Aug., *serm.* 272.) Hæc est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

92. Finitis vero omnibus, astanti et observanti populo absolutio datur, inclamante diacono ; *Ite, missa est*. Missa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronuntiat, cum populus a solemnibus observatione dimittitur. Unde et missam catechumenorum canones dicunt, quando post Evangelii lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum, nisi baptismi fonte regeneratum, interesse licet. Tunc enim, clamante diacono, iidem catechumeni mittebantur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionem sacramentorum : missa fidelium fit post confectionem et participationem.

FLORI DIACONI

OPUSCULA ADVERSUS AMALARIUM

(Apud Marten., *ibid.*)

Incipit epistola FLORI totius veritatis plena, contra falsiloquas adinventiones AMALARII, quondam Lugdunensis chorepiscopi, de Corpore Domini tripartito.

1. Dominis beatissimis, reverentissimis, et piissimis pastoribus gregis Christi, rectoribus Ecclesie Dei, prædicatoribus ac propugnatoribus catholicæ fidei, DROGONI sacri consilii magistro et pontifici clarissimo ; HETI Trevirorum antistiti, ALDRICO reverentissimo Cenomannorum episcopo, RABBAN abbati ve-

nerabili, et ex provincia Lugdunensi prima ALBARICO Lingonum reverentissimis episcopis, Ecclesie catholicæ indignus filius, et pietatis ac paternitatis vestræ exiguus servulus FLORUS.

Obsecro, manuetissimi et benignissimi servi Christi, ut extremitatem meam periculis Ecclesie Dei condolentem et compatientem, ac pro hoc necessitates ejus humiliter et fidenter ad vos referentem, in ipsius Christi, et Dei Ecclesie piæ matris amore, pio ac benigno suscipiatis affectu. Exigua quidem et indigna est persona quæ loquitur ; sed Domini est

eres, Domini est causa quam loquitur : digua certe, quæ a melioribus suggereretur, et idonea quæ ad vestrum jam olim iudicium examinanda perferretur; sed quoniam fortius clamare solent qui atrocius vapulant, et qui maxima cogente indigentia importunius postulant, miseratione potius quam indignatione digni habentur : sit et mihi minimo sub vestra pietate tutum ac liberum inter flagella vapulantis Ecclesiæ tristius vociferari, de cladibus ejus ac miseriis conqueri, et a vobis paternæ opis auxilium deprecari.

2. Idcirco enim ad vos, o domini et Patres beatissimi, qui et dignitatis culmine, et fidei sinceritate, et Dei timore, et scientiæ probitate præcellitis, et Lugdunensi Ecclesiæ quidem familiaris obstricti estis, querelam hanc potissimum credidi deferendam : ut quanto plures divini muneris largitate præitis, tanto instantius et religiosius pro divinæ fidei et veritatis tuitione certetis; memores Spiritus sancti per Salomonem talibus, quales Christi estis gratia, præclamantis : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare necesse est* (Prov. xxiv, 11). Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Præcessit enim in præfata nuper Ecclesia per prælatum ejus Amalarium error insanus et vanus, fidei et veritatis inimicus, religioni et salutis contrarius, quem primum quidem, aggregata presbyterorum synodo, circumsedentibus omnibus, et velut præceptorem audientibus, viva voce conatus est serere, imo tota intentione et studio per totum triduum proponendo, exponendo, exigendo, omnibus inculcavit et tradidit, quasi Novi Testamenti minister tabulis cordis carnalibus cuncta quæ asserebat, indelebiter vellet imprimere. Deinde etiam magnum quemdam codicem quatuor voluminibus diffusum, a se compositum atque digestum, legendum transcribendumque tradidit, asserens eum Officiale nuncupari, tanquam de sacris officiis prudentissime et sufficientissime disputantem, qui tantis vesaniis et erroribus confertus est, ut quibuslibet etiam imperitis palam ridendus conspiciendusque videatur. Protulit quoque Antiphonarium velut a se digestum atque correctum, cui talia ex suo sensu inseruit, ut pro ejus impudenti audacia frons legentis pudore ac rubore feriatur. Novissime vero novum digessit volumen, et apud Lugdunum ornate indui, ac vittis sericeis distingui fecit : quod ad palatium ferens, vel principi, vel magistro consilii dicitur oblaturus. In quo vere tam inepto eloquio, tam absurdis sensibus, tam exquisitis et inauditis phantasiis involvitur, ut putes eum lymphatico more bacchari. Vocat hujus insulsissimæ garrulitatis librum, *Embolim opusculorum suorum*, et rectissime omnino; est enim multiplicium errorum ejus velut cameli gibbus procreans ac redundans argumentum [al., augmentum].

3. De singulis autem pauca proponere, et vestræ

gravitati fastidiosum, et meæ supplicationis sermoni videtur incongruum, quem metuo rebus frivolis facere prolixiorum, ne in seriis ac necessariis onerosior videatur. Certe libri ipsi fere ubique dispersi, fere omnibus noti sunt, neque ullatenus ambigo quin gravium ac prudentium virorum iudicio severius reprehendantur, quam exiguitatis meæ aut comprehendi ingenio, aut exaggerari possit eloquio. Attamen, ne frustra opem sanitatis videar implorare, si dissimulo aut formido vulnus detegere, nonnulla vel breviter replicabo. Vos ut cœlestis cooperatores medici, sive antidoto fidei, sive scapello, aut cauterio sincerissimæ veritatis curate languida, ressecate putrida, urite vitiosa, et salutis corporis Christi in commune prospicite. Absit, absit a vestræ gravitatis censura, ut in hujusmodi erroribus et ineptiis confutandis, aut personæ respectu, aut adulationis fuco, aut humanæ offensionis seu discriminis metu cujusquam pii et fidelis animus retardetur. Cum res fidei, cum causa Ecclesiæ, cum negotium Christi agitur, sola fides, sola mater Ecclesia, solus amator veritatis, imo Veritas, Christus præ oculis habeatur.

4. Docet præceptor ipse Amalarium egregius, ita corpus Christi esse triforme et tripartitum, ut tria Christi corpora : primum quod ipse suscepit, secundum in nobis, qui super terram ambulamus; tertium in illis qui sepulti jacent. Asserit in mysterio sacrificii hac de causa tres debere fieri partes : unam calicis pro Christo, alteram in patena pro vivis, tertiam in altari pro mortuis. Dicit panem illum esse carnem Christi, sanguinem animam, ut sit totus Christus. Hæsitandum dicit, utrum corpus Christi de altari sumptum, in corpore nostro maneat usque in diem sepulturæ, an recipiatur invisibiliter in cœlum, an quando venam incidimus, cum sanguine profluat, an cum cæteris quæ in os intrant, in secessum labatur. Epistola ejus est in suo Officiali libro, ad juvenem nescio quem episcopum scripta, quæ hoc continet : Ubi etiam de sputis et flegmatibus spurcissime disputat, et cum sit tam sordide mentis putidæque doctrinæ, se spiritalem jactat, qui omnia dijudicet, et alios carnales et animales vocat. Calicem Domini vocat sepulcrum, presbyterum Joseph ab Arimathia, archidiaconum Nicodemum tanquam sepultores Christi; diaconos retro acclines apostolos, se in passione Domini velut contrahentes et occultare volentes; subdiaconos ad faciem erectos, mulieres libere astantes. Aliam partem mysticæ orationis, qua corpus Domini consecratur, Christo tribuit oranti in monte Oliveti; aliam in cruce pendenti, et post nescio quas fatuas divisiones, aliam morienti. Cum vero presbyter inclinatur, hoc esse : *Et inclinato capite tradidit spiritum* (Joan. xix, 30).

5. In anno legitima jejunia ad quatuor humores refert, quibus corpus vegetatur humanum, et pro his fieri asserit in eisdem jejuniis. Duas lectiones quarta feria ad missam legi, propter duo sidera ipso die condita, ut paganis ejus verbis utar, Phœbum et

sororem ejus Phœbam. Nam et sanctorum David semper in Domino fortem et bellicosum, morte ethnico arsisse dicit in Marte, quem dæmonem esse pessimum inventorem [*al.*, *incentorem*] tumultuum atque bellorum proclamat etiam poeta gentilis dicens: *Sævit toto Mars impius orbe*. In Evangelio majoris Litanie, per panem intelligit fruges terræ; in pisce genita ex aquis; in ovo animalia quæ ex utroque sexu gignuntur in terris; talemque phantasiam sensus sui evangelico præferens sensui, asserit pro talium rerum conservatione tunc a fidelibus celebrari litanias. Nam et messes tunc in profectum sunt, inquit, et pisces tunc veniunt, et pulli campos tundunt. Addit insuper et quasdam significationes monstruosas, et instar antipodarum capite deorsum, pedibus sursum versis, ita ut in his præcedat res ipsa, et sequatur figura; cum e contrario umbræ legis, juxta Apostolum, res designent futurorum honorum. Cum ab altari sumitur Evangelium, ipsum altare significat Jerusalem, unde Evangelium processit. Locus altaris locum illum significat, ubi Jacob dormiens angelos vidit. Romanus pontifex, cum sabbato ante Palmas eleemosynam dat, mulierem significat quæ Dominum unxit.

6. Jam de sacerdotum et ministrorum sacris vestibus, de vasis divini ministerii, de cantorum tabulis, de signis æreis, de ipsis etiam indumentorum et calceamentorum simbriis, coloribus et speciebus, de officiis quoque sacris, et psalmorum distributionibus, quam inepta et fatua et omni risu digna contingit, quasi ei soli licuerit post legem et prophetas, post Evangelia et apostolos, res typicas et mysticas in Ecclesia statuere, ita ut mysteriorum ejus prævaricator habeatur, qui usu et consuetudine simplici aliud quid celebrare præsumpserit. Dicit se in talium phantasiarum adinventionibus sancti Augustini auctoritatem sequi, eo quod obscura quæque et ambigua tandiu ille tractari jubeat atque versari, donec ad dilectionem Dei vel proximi intelligentia perducatur: in quibus duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ. Nec considerat, nimia novitatum cupiditate cæcatus, hæc illum de sacrarum Scripturarum indagandis sensibus tradidisse: nempe libri in quibus hæc loquitur, de Doctrina Christiana titulatur, de sola in his Scripturæ sacræ intelligentia regulæ traduntur, multa ibi de rebus, multa de signis disseruntur; et tamen de hujusmodi significationibus quas iste perquirat, nihil penitus dicitur, imo in libris ad Januarium, omnem ecclesiasticarum observationum varietatem triplici genere distinguit, universas videlicet aut ex Scripturæ sacræ auctoritate, aut ex generali Ecclesiæ traditione, aut ex diversorum locorum multiformi consuetudine eas asserens propagatas: et primas quidem ostendit numero esse paucissimas, sed observatione facillimas, significatione præstantissimas; secundas quoque pari religione asserit venerandas; in tertiis vero nullam omnino significationem, nullum requirens mysterium, sincerissimam atque gravissimam B. Ambrosii senten-

tiam sequitur, ac velut cæleste oraculum sequendam proponit, quam eidem respondit de talibus consulenti: «Ad quamcunque, inquit, Ecclesiam deveneris, ejus morem serva, si non vis alteri esse scandalum, nec quemquam tibi.» In eisdem ad Januarium libris. «Quidquid humana auctoritate statuitur, ac veluti sacramentum et mysterium tenetur, nullatenus approbandum, imo et indubie asserit, resecandum.»

7. Quid igitur novellus iste præceptor de misteriis suis faciet? qua ratione tot vanitatum suarum commenta defendet? Scripturæ sanctæ auctoritas deest, Ecclesiæ in talibus generalis traditio, et regula nulla est, doctrina Patrum repugnat, Libellum Romani ordinis tantæ auctoritatis habet, ut eum pene ad verbum nitatur exponere; et tamen statim sibi ipse contrarius asserit hunc Romano archidiacono, cujus traditionibus gloriatur, ignotum. Quod si Scripturarum sensus ad suas fabulas trahit, et commenta erroris sui ex his fulcire conatur, quis hanc nesciat hæreticorum propriam esse insaniam ut sua semper mendacia veritatis specie pallient, vertentes, juxta Isaiam, argentum in scoriam, et cælestis vigorem vini terrenæ fatuitatis aquæ miscentes? Ignoscat mihi indigno et exiguo vestra paternitas, si rem necessariam fidei et salubrem Ecclesiæ devota supplicatione suggessero. Claudendus est plane juxta legis præceptum bos cornipeta, et os ejus sempiterni freno silentii constringendum, imo quia jam aut virum aut mulierem fortassis invasit, id est, vel qui sibi fortis videtur, vel qui vere infirmus in fide est, scandalizavit, divinarum sententiarum capidibus [*f. cuspidibus vel lapidibus*] obruendus, nec carnes ejus, id est doctrina et sensus, ullatenus comedendæ. Nam quoties de his arguitur vel monetur, nequaquam, ut piorum moris est, libenter et humiliter acquiescit, sed tunc jactantius et insolentius cornua erigens, multiplicat vesaniam, suam sic sentire clamans omnem Germaniam, sic totam Italianam, sic ipsam Romam, se fuisse Constantinopoli, se apud Istriam sive Lucaniam, et idcirco in talibus singularis auctoritatis existere. Nec ei sat est quod ipse tantis implicatur erroribus atque phantasiis. nisi et totum pene orbem sui complicem infamet. Persistit namque, sub multorum pontificum ficta auctoritate, suum de sacrosanctæ eucharistiæ divisione ineptissimum, imo blasphemum, confirmare sensum. Neque enim nos cujusquam morem Ecclesiæ reprehendimus, nec alteram alteri superbe præferimus, quas omnes in Christo constat vinculo pacis unitas, et sancti Spiritus distributione distinctas, sed sensum profanum redarguimus, quem manifestissime et Scripturæ sanctæ, et fidei catholicæ, et unitati Ecclesiæ inimicissimum constat. Vere nulli unquam licuit corpus Christi dicere trifforme vel tripartitum, quod Apostolus unum semper et unicum proclamat, dicens: *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I Cor. x, 17). Et iterum: *Multi unum corpus sumus in Christo* (Rom. xii, 5). Et alibi: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*

(Eph. iv, 14). Vere unius capitis Christi unum est omnium electorum corpus ; uno spiritu vegetatum, suo capiti inseparabiliter unitum, suorum membrorum indissolubili connexione solidatum atque compactum, sola gratiarum varietate distinctum, nec mortalitate divisum, nec ipsa morte solvendum. Neque enim quia talium signentorum doctor, cum adhuc mortaliter vivit, pater autem forsitan mortuus et pulveri redditus est, idcirco vel a Christo, si ejus membra meruerunt, vel a se invicem, quantum ad gratiam unitatis corporis Christi attinet, mortalitatis aut mortis obstaculo divisi sunt, quoniam conditio mortalitatis et mortis ad pœnam pertinet prævaricationis antiquæ, non ad spiritualis innovationis ineffabilem unitatem. Unitatem istam sola charitas compaginatur, sola iniquitas dissecat, testante Apostolo : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I Cor. vi, 17), et Propheta e contrario in clamante : *Iniquitatis vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum* (Isa. lix, 2).

8. Reprehendit sanctus Augustinus Tichonium quod, in libro Regularum, unam de septem de corpore Domini bipartito nominaverit, mutatoque nomine irreligioso, potius eam de corpore Domini vero atque simulato, vel de corpore Domini permisto, asserit nuncupandam ; ita sanctus Pater edocuit esse nunc propter unam bonorum et malorum piscium captionem in Christi corpore permistionem.

9. Divisionem vero repudiavit, quoniam indissolubilis sacramenti unitas nullam penitus recipit sectionem. Quam misera autem anxietate ventilatur et coarctatur, cum corpus Christi humanæ corruptionis sordibus inquinari formidat, et idcirco vel in cœlum recipi invisibiliter vel in corporis nostri velut conditorio reponi mira vanitate delirat ! Addit quoque *usque in diem sepulturæ*, metuens videlicet ne vel tunc, nisi nescio quo invisibili modo, a nobis discretum fuerit corpus Christi, nostri corporis conditione in pulverem dissolvatur. Quid autem honoris ei confert, si ex venæ incisione, mirum cur non et narium fluxu simul simul fluere opinatur ? annon videmus quibus et quam sordidis animalibus sive locis fusus pateat sanguis humanus ? absint ab animo fidei de mysterio salutari atque cœlesti tam ineptæ et sordidæ cogitationes ! Prorsus panis ille sacrosanctæ oblationis corpus est Christi, non materie vel specie visibili, sed virtute et potentia spirituali. Neque enim in agro nobis corpus Christi gignitur, aut in vinea sanguis ejus exoritur, vel torculari exprimitur. Simplex e frugibus panis conficitur, simplex e botris vinum liquatur, accedit ad hæc offerentis Ecclesiæ fides, accedit mysticæ precie consecratio, accedit divinæ virtutis infusio ; sicque, mire et ineffabili modo, quod est naturaliter ex germine terreno panis et vinum, efficitur spiritualiter corpus Christi, id est vitæ et salutis nostræ mysterium, in quo aliud oculis corporis, aliud fidei videmus obtentu ; nec id tantum quod ore percipimus, sed quod mente credimus, libamus. Unde et fideliter petimus ut quod

A ore contingimus, pura mente capiamus. Mentis ergo est cibus iste, non ventris ; non corrumpitur, sed permanet in vitam æternam, quoniam pie sumentibus confert vitam æternam. Pie autem sumit qui, spiritu fidei illuminatus, in illo cibo et potu visibili virtutem intelligibilis gratiæ esurit ac sitit ; et minus indulgentiæ, et salutis spiritualiter percipit... nullatenus cogitanda vel metuenda est in hoc mysterio ulla pollutio. Christus enim Dei virtus, et Dei sapientia in eo sumitur ; quæ sapientia, ut Scriptura testatur, candorem lucis æternæ, et emanatio quædam claritatis Dei sinceris, et ideo nihil inquinatum in illam incurrit, attingit autem ubique suam munditiam. Corpus igitur Christi, ut prædictum est, non est in specie visibili, sed in virtute spirituali, nec inquinari potest fæce corporca, quod et animarum et corporum vitia mundare consuevit.

B
10. Obsecro, Patres beatissimi, ut reminiscantur piissima corda vestra, et cum omni timore ac tremore cogitent, quanta exstiterit in antiquis Patribus cautela fidei et cura veritatis, et quanto zelo perfidiæ semina et impietatis scandala extirpaverint, quatenus Ecclesia Christi sponsa, Agni sponsi ac Domini sui sanguine redempta et ornata, sine macula inveniretur et ruga. Taceo Sabellium et Arium, qui in summæ atque individue, et coæternæ Trinitatis fide peccaverunt ; prætermitto Nestorium, et Eutyehem, quos in fide incarnationis Unigeniti impia sensisse vulgatum est. Nec illos contingo qui, licet eamdem fidem Trinitatis tenentes, schismate obstinationis spiritu ab Ecclesia recesserunt. Ad eos venio quos, C in cultu et celebratione sacrorum sanctorum seu in superstitionis quibusdam observantiis evanescentes, antiqua sinceritas foras misit. Sunt Cataphryges funesta, et Manichæi spurca celebrantes mysteria jure damnati ; habeant etiam Adamitæ ob impudentiam jure ab Ecclesia pulsati. Nudi enim viri, et femine ad imitationem Adæ mysteria exercebant, Ecclesiamque suam paradysum vocabant, et tamen a superstitionis cultus observantia quantum differt superstitio nuditatis. Artonitæ, qui græco eloquio ex pane nuncupantur et caseo, merito judicentur extranei, quoniam pro pane et vino evangelico in mysteriis suis, velut Cain et Abel imitatores, panem et caseum offerebant. Aquarii quoque similiter, utpote aquam solam contra præceptum Evangelicum offerebant, et tamen pie considerandum quod et hi et illi ob hoc solummodo abjecti sunt, quia in mysterio sacrificii, D contra evangelicum et apostolicum constitutum, vel mutare quidpiam, vel addere aut subtrahere præsumpserunt. Hæc igitur in sacris rite improbata jure videntur esse punita, utpote quibus tantum mysterium impie violatur. Oro, quid commeruerunt Eucharistæ, græco vocabulo ab orando nuncupati ? quid Dactylicæ a digito, quid Ascitæ ab utre vocitati deliquerunt, ut Ecclesia excluderetur ? Bona est oratio, et tamen primi ob nimium orationis excessum repulsi : bonum est et silentium ; sed ob nimiam silentii superstitionem, ita ut digitum labiis opponerent,

secundi abjecti sunt. Jam vero Ascitæ quid agebant? A quam leve nunc, quam non curandum, quam etiam ludicrum putaretur? utrem inflatum, et opertum ebrii circumvenientes (*al.*, circumeuntes), se utres novos evangelico vino repletos dicebant. Cavendum ergo, Patres Beatissimi, et paterna vigilantia providendum, ne forte et nunc hostis antiquus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, qui magnum de modico sæpe malum excitat, et de scintillis conflatur incendia nova, per has novas phantasias in simplicium et ignorantium cordibus errorum semina nutriat. Curandum etiam ne per earum imperitissimum actorem divina volumina violentur: confert enim ea assidue cum Hebræis, et, quia nullam linguæ eorum, nullam litterarum familiaritatem habet, frequenter, ut audio, quæ sunt recta pervertit. B Nam et in hac parte tantam Patres adhibere cautelam, ut Evangelia quæ beatus Hieronymus ab Esitio, sive Luciano falsata esse commemorat, inter libros non recipiendos abjecerint. Quanto etenim magis istius emendatio debet esse suspecta, qui in tantis, ut res ipsæ demonstrant, præceptum calcat Scripturæ dicentis: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Prov. xxii, 28).*

11. Hæc sunt, o sanctissimi Patres, quæ pro timore Dei, pro honore fidei, pro amore vestro, imo totius Ecclesiæ, mansuetudini vestræ credidi intima. Nunc precor indignus, et obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum, qui dilexit Ecclesiam suam, et seipsum credidit (*al.*, tradidit) pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, ut inflammemini veritatis zelo, et una cum sancto concilio expugnetis errorem insulsissimum, neque de hac solum nostra, quæ prædæ et direptioni et conculcationi patet, sed et ex aliis Christi Ecclesiis hujus superstitionis pestilentiam exterminetis. Credite enim, domini, omni mihi veneratione dignissimi, quia nihil ita hæc misera et miserabilis plangit Ecclesia sicut veritatis, quam non audit, dispendium, et multiplicium errorum, quos tolerare compellitur, incrementum. Videtis, sanctissimi, pro qua et adversus quem supplicem: pro Ecclesia videlicet Christi, cui fidem et charitatem usque ad mortem debeo; adversus fabricatorem mendacii, et cultorem perversorum dogmatum, qui temporibus prudentissimorum antistitum, temporibus religiosissimi principis, contra veritatem Scripturarum, contra auctoritatem ecclesiasticorum patrum, contra omnem rationis ordinem, Ecclesiæ Dei vivi, qui est columna et firmamentum veritatis, ausu temerario atque sacrilego, tanta errorum et superstitionum scandala inferre conatus est: quæ procul dubio habent initium truncum, et medium putridum, et finem ruinosum. Nam aut humiliter confitebitur errorem, ut possit dignam præbere satisfactionem; aut, si insaniarum suarum commenta pertinaciter atque impudenter asserere maluerit (quod ei non expedit, nec optamus), habet

præcedentium in talibus rebus, ut supra ostendimus, exempla, quorum exitus pertimescat.

EXPLICIT.

III

In nomine Domini Jesu Christi, incipit opusculum de causa fidei, apud Carisiacense episcoporum concilium nuper habita.

1. Res nuperrime apud Carisiacum palatium, in generali et valde celebri episcoporum concilio, super quibusdam causis fidei et observationibus ecclesiasticis acta est, adeo memorabilis et salubris, ut, licet in omnium fere notitiam propalata sit, dignissima tamen existat quæ ad utilitatem et ædificationem fidelium litteris mandari, et cunctorum sensibus solertissime debeat commendari.

2. Cum enim in sacrosancto sacerdotali conventu inspirante Domino, qui in nomine suo congregatis medium se affuturum promisit, clarus fidei ac veritatis fulgor aperitur, non oportet divinum munus obtegi, sed, ad illuminationem Ecclesiæ et laudem nominis Dei, aperta luce omnibus declarari, ipso Domino dicente: *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cælis (Matth. v, 15.)* Hac igitur intentione, ut Deus inspiciat, præfatam rem laudabiliter atque utiliter gestam, tenui licet eloquio, brevissime, quantum potero, cæteris (*al.*, litteris) tradere et piorum auribus, Christo Domino auxiliante, inculcare curabo. Quod præcipue nobis, id est universo clero Ecclesiæ Lugdunensis necessarium duxi, ut quorum fides hactenus infausti et fantastici erroris fabulis improbe afflicta est, nunc paterno adjuncta ac roborata suffragio, et evasisse se gaudeat et vicisse.

3. Auctor hujus inauditi execrandique erroris Amalarius omnibus notus est. Hic in tantum præsumptionis erupit, ut, sprete Scripturarum veritate, calcata sanctorum Patrum auctoritate, doctrina damnabili sinceritatem fidei catholicæ violaverit, et simplicem ecclesiasticæ observationis cultum fallaciarum nebulis involvere ac decolorare ausus sit. Quam vanitatum suarum pestiferam vanitatem, non tam viva quam mortua voce, sed et librorum multiplicium monumentis longo jam tempore, ubi poterat, velut sator nocturnus tritico agri Domini zizania interserens, longe lateque disseminavit, Scripturarum testimoniis abutens ad aniles ineptias suas, et orthodoxorum Patrum sententias coaptans fabulis suis.

4. Sensit, imo ingemuit hoc malum præsens Ecclesia, cum in celeberrimo presbyterorum conventu, præsentibus chorepiscopis et archidiaconibus, præsentibus etiam nonnullis aliis ex clero, tam inepta et fidei contraria docere præsumpsit, ut omnium horreret auditus; cum postmodum etiam detestan-

dum opusculorum suorum codicem omni parochiæ nostræ velut legendum transcribendumque ingressit; sed et ante paucos dies cum alium librum suum huc detulit dementissimus, ad inventionum suarum phantasmatis plenum. Quæ omnia, magis odio et oblivione quam relatu digna, libenter nunc silentio præterire, nisi hæc vel tenui commemoratione præstringere, rei gestæ quam explicandam suscepi ordo et causa deposceret. Neque enim finis quæstionis potest rite agnosci, nisi ante initium sollicitius prænoscat.

5. Asserit itaque doctor præfatus, inter alia, corpus Christi triforme et tripartitum esse, imo tria esse Christi corpora. Corpus Christi quod in sacramento a fidelibus sumitur, vel in cælum invisibiliter recipi, vel in corporibus sumentium manere usque in diem sepulturæ, vel ex incisione venarum cum sanguine fluere, vel in recessum labi opinatur. Diaconos, altari cum assistunt inclines, assere signficare apostolos in passione Domini metuentes atque latitantes; subdiaconos, mulieres cruci intrepide assistentes; presbyterum, Joseph ab Arimathia; archidiaconum, Nicodemum; calicem, sepulcrum; oblationem Dominici corporis dicit crucifixionem; lignum ipsum designare dicit doctores; lignum unde pendet, crucem; funem quo attrahitur, fidem; tintinnabulum quo resonat, linguam; manum trahentis cum levatur, vitam contemplativam; cum deponitur, activam. Exorcismos catechumenorum, ad spiritalem emundationis affectum simpliciter depromendos, ad quinque sensuum corporeos nimia carnalitate convertit.

6. Hisdem ipsis, sicut aures et nares, ita et oculos tangendos melius indicat. Antiphonarium Joannis Apocalypsi comparat. Atque has omnes et innumerabiles alias nœnias per sanctum dicit Spiritum revelari, sibi usurpans testimonium Petri apostoli dicentis: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Petr. i, 21). Ex quo manifeste et se prophetam, et doctrinam vanissimam et risu dignam, heu! miserabiliter deceptus, vult credi prophetiam. Verum, ut quod cœptum est breviter explicetur, ubi doctrinæ hujusmodi contagium ad subversionem simplicium in hac Ecclesia disseminari cœpit, pastor de commissi gregis salute sollicitus, cum multi mœroris amaritudine religioso principi causam innotuit, conquerens ac deplorans magnum Ecclesiæ vulnus, et execrandam fidei maculam, sub istiusmodi novitatum præsumptione nutriti, nisi velocius Deo debita ejus providentia subveniret. Pii principis cura ardentem ac laudabiliter in Dei rebus sollicita, cum ob pleraque Ecclesiæ negotia in prædictum palatii locum reverendos Patres episcopos convenire jussisset, causam ad cognitionem atque examen concilii eorum proferri fecit, cumque in eorum auribus, tam inepta et profana novarum ad inventionum commenta recitarentur, ipso quoque qui ea de cordis sui audacissima vanitate protulerat

A præsentem; et res blasphemias religiosas horreret auditus; exigunt ab eo, si vere sua esset doctrina. Negare non potuit, utpote quæ in libris quamplurimis ab ipso editis fere ubique vulgata sit. Interrogant ubi hæc legerit. Tunc ille, maximo constrictus articulo, rem quæ neque de Scripturis sumpta est, neque de catholicorum Patrum dogmatibus tracta, sed nec ab ipsis etiam hæreticis præsumpta (quia aliud quod diceret penitus non habebat) in suo spiritu se legisse respondit. Sed mox tam superbam et fatuam responsionem veneranda synodus execrans, dixit: « Vere ille fuit spiritus erroris. Meminerant enim beatum dixisse Apostolum: *Novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium* (I Tim. iv, 1). De qualibus et Ezechiel dicit: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* (Ezech. xiii, 3.) Et iterum: *Videntes vana et divinantes mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus, cum Dominus non sit locutus* (Ezech. xii, 28). Unde et istiusmodi præsumptores Deus per eundem prophetam suo deceptos esse iudicio testatur, dicens: *Et propheta cum erraverit a me, et locutus fuerit verbum in nomine meo quod non præcepi ei, ego Dominus decepi prophetam illum* (Ezech. xiv, 9). Quos omnes Spiritu Dei vacuos, et spiritu proprio inflatos, alienandos penitus a sanctorum cœtu terribiliter denuntians in concilio, ait: *Populi mei non erunt, et in Scripturas domus Israel non scribentur, nec terram Israel ingredientur* (Ezech. ii, 10); cumque, illo reticente ac de mendaciorum suorum deprehensis fallaciis confuso, veneranda synodus plurima loqueretur, deliberatum est doctrinam hanc esse omnino damnabilem, et ab omnibus catholicæ fidei cultoribus funditus respuendam, præcipiente nobis Apostolo, ac dicente: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (Hebr. xiii, 9). Diversam esse istam doctrinam a sinceritate veræ fidei, et omnino ab Ecclesia peregrinam, quippe quam nemo orthodoxorum Patrum novit, nulla veritatis ratio fulcit, sed novitius atque adventitius error induxit; umbras et figuras in cæremoniis Testamenti Veteris existisse; novum adventum Christi veritate fulgere, et fidei puritate atque observantiæ simplicitate consistere, testante Apostolo: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Domino, qui reconciliavit nos sibi per Christum* (II Cor. v, 18). Omnia igitur, id est et vetera et nova, et typum legis et Evangelii veritatem, unius et solius Dei, non cujusquam hominis aut angeli, auctoritate constare. Unde nemini omnino, post utriusque Testamenti ministros divino spiritu illustratos, divina auctoritate subnixos, in quibus et per quos ea quæ diversis temporibus ad salutem populi sui congrua judicavit, evidenter Deus et operatus est et locutus, licuisse aut licere nova figurarum genera vel mysteriorum sacramenta sancire, et ideo rationabile obsequium Ecclesiæ sive in ornatu vestium, sive in multiplici vasorum ministerio, in

simplicitate veritatis et fidei puritate, procul omni superstitionis phantasmate, remota omni nebulosi dogmatis vanitate, pure Deo et simpliciter exhibendum esse; in his honorem religionis, reverentiam divini cultus, lætitiā Christianæ devotionis, non figuras aliquas vel mysteria vanitatis. Jam vero illud quod corpus Christi triforme et tripartitum dicere, imo tria Christi corpora inauditæ temeritatis audacia asserere præsumpsit, in tantum sacerdotes Domini exsecrati sunt, ut hoc, sicut supra ostensum est, de spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum sumptum dicere minime dubitarint, tanquam cum angelo Domini detestantes Satan, qui dextris Jesu magni et veri sacerdotis adversari conatur, et exsufflantes dicerent: *Increpet Dominus in te, Satan, et increpet in te qui elegit Jerusalem* (Zach. III. 2).

7. Corpus autem Domini, quod in mysterio a fidelibus sumitur, absit ut tam sordida vel superstitiosa mente quis appetat, ut aliquid horum quæ immundissime auctor doctrinæ confinxit, in suo animo et cogitationibus versari permittat! Quapropter cum omni desiderio et supplicatione pietatis divinam misericordiam implorandum, ut non solum ab auribus, verum etiam a cordibus nostris, talium phantasmatum ac sordium labe remota... sempiternum munditiæ suæ, mentes nostras emundet, quatenus tam divinum gloriosumque mysterium puro sensu cogitantes, pura pietate sumentes, incorruptæ purificationis gratiam consequamur. Cum enim Dominus dicat: *Ego sum vitis vera* (Joan. xv, 4); et: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum* (Joan. vi, 32); et: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (Ibid., 56); et: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Ibid., 58); sicut nihil vitæ æternæ cibo nisi vera animæ refectio appetenda est, ita nihil penitus cogitandum, nisi quod spiritale et immortale est. Quid autem mirum si, fidei gratia et virtute divina, talis cibus sic sumitur ut absorbeat quod mortale est a vita? *Hic est, ait Dominus, panis de cælo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* (Ibid., 50). Sed quid pertinet ad virtutem sacramenti, quod pertinet ad visibile sacramentum? Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum; qui credit, manducat; invisibiliter saginatur, quia et invisibiliter renascitur. Sacramenta sunt ista; ideo autem dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Manet igitur in mente fidelium incorrupta venerabilis mysterii virtus, et efficacissima potentia, purgans delicta, emundans conscientias, perficiens gratiam redemptionis et salutis. Unde ait beatissimus Joannes: *Et sanguis Filii ejus Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (I Joan. 1, 7). Vas quoque electionis Paulus: *Quanto magis, inquit, sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit con-*

scientiam vestram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi (Hebr. ix, 14). Sed et princeps apostolorum Petrus: *Scientes, ait, quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine tanquam Agni incontaminati et inviolati Christi* (I Petr. 1, 18). Non ergo corruptibili redempti sumus. Hoc fidelis sumit ad vitam, indignus ad pœnam; hoc pretium redemptionis et viaticum salutis unusquisque fidelium sub hora mortis fidei pietate exposcit. Hoc se peccatorum veniam adepturum, a malignorum spirituum incursu in ipsa morte tuendum, ad paradisi amœna præsumit admittendum. Cumque pulvis revertitur in terram suam unde erat, spiritus tamen, hujus muneris solatio fretus, hujus gratiæ præsidio munitus, redit ad Dominum qui dedit illum, nec in depositione corruptibilis corporis sui amittens incorruptibilem gratiam corporis Christi. Hæc, prout Deo annuente potui, de concilio venerabilium episcoporum, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, et confirmationem catholicæ fidei nuper habito, brevi paginula annotare curavi, verba eorum et sensus quibus valui verbis, et Scripturarum testimoniis explicans, et excogitati nuper et exsecrandi erroris confutationem. In omnium qui hæc legere vel audire voluerint notitiam perferens, ut, repudiata atque damnata profani dogmatis sobulosissima vanitate et vanissima fabulositate, procul abjectis et libris et verbis mendacissimis vaniloqui doctoris, de purissimo Scripturarum fonte, de sincerissima Patrum doctrina, de venerabilis concilii auctoritate, fidei et scientiæ hauriamus fluentia, servantes sollicitè semel traditum nobis fidei thesaurum, et fugientes oppositiones scientiæ falsi nominis, et profanas vocum novitates, de quibus Apostolus fideli discipulo ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (I Tim. vi, 20), cum ergo istiusmodi pseudoscintia et profana vocum novitas fidei excidium et naufragium faciat, velut scyllam quamdam et charybdim eam vitemus, metuamusque intima cordis formidire, ne forte jam in illo tempore esse cœperimus de quo idem terribili denuntiatione clamat Apostolus: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria concervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II Tim. III, 4), statimque subjungit: *Tu vero vigila, videlicet ne, dormientibus patrisfamilie servis, inimicus homo superseminet zizania in medio tritici. Audiamus eundem Apostolum alteri charissimo discipulo dicentem: Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ* (Tit. III, 9). Et protinus adjungit: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita; sciens quia subversus est ejusmodi, et peccat proprio judicio condemnatus* (Ibid., 10, 11). Sed et alio loco dicit: *Si*

quis autem docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens sed languens (I Tim. vi, 3, 4). Circa quæstiones et pugnas verborum nonne videtur Apostolus in his verbis velut digito monstrare præfatum nostri temporis vaniloquum præsumptorem, qui spernens sanos sermones Domini Jesu Christi, conculcans doctrinam pietatis, totus circa novas quæstiones et inutiles adinventiones languidus et inquietus oberrat? Dominus enim noster Jesus Christus, qui est verus et Veritas, verissimum corporis et sanguinis sui mysterium in Evangelio exponere dignatus ait: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivit propter me* Joan. vi, 54, 56, 57). Panis enim Dei est qui descendit de cælo, et dat vitam mundo; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ecce sanos sermones Domini nostri Jesu Christi, ecce doctrinam pietatis. Ecce verba vitæ æternæ, de quibus ipse ait: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (Ibid., 64). Et Petrus ad illum: *Domine, inquit, verba vitæ æternæ habes* (Ibid., 69). Audiamus ergo verba vitæ ex ore vitæ. Carnem suam dicit a fidelibus manducari, et sanguinem suum potari; vere illum cibum carnem suam esse, vere illum potum sanguinem suum existere confirmat; se ipsum asserit a fidelibus suis comedi, et sine hoc cibo neminem vere per hunc mundum vivere testatur; hunc esse panem de cælo descendentem, id est carnem quam ipse tradit pro mundi vita. Hic panis cælestis, quia cæleste, imo super cæleste Verbum, nostri quidem generis, sed cælestis originis, caro factum est, et habitavit in nobis, neque carnem illam Dei genitrix ex voluntate viri, sed ex superventu Spiritus sancti et obumbratione concepit virtutis Altissimi. Ideo et de hoc pane olim fuerat prophetatum: *Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (Psal. lxxvii, 25). Verbum enim Dei manens in cælestibus supernis panis angelorum caro factum est, ut panem angelorum manducaret homo. Quomodo igitur iste profanæ novitatis præsumptor, et quantum in se est, tantæ pietatis violator, per quam in Christo fideles, et in suis fidelibus Christus manens, caput corporis Ecclesiæ existit? Quomodo, inquam, unum cælestem panem in tria dividit? aliud illic asserens esse Christum, aliud viventes fideles, aliud jam defunctos. Et Christum quidem calicis particula contineri, viventes in patenæ fragmentis, defunctos autem in tertia quadam altaris particula censerit. Ita errore sacrilego implicatur ubi Dominus Jesus Christus asserit semetipsum a fidelibus manducari, et vere carnem suam esse cibum, vere sanguinem suum potum, iste contendit vivos comedi, et defunctos. Arguit, ipso in

A se loquente, Apostolus hunc errorem: *Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* (I Cor. x, 16.) Iste autem e contrario in presbyterorum concilio docet: *Sanguis ille anima Christi est. Quid hac novitate profanius? Apostolus omni divisionis suspicionem sublata, clamat assidue: Multi unum corpus sumus in Christo* (Rom. x, 5). Et iterum: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (Ephes. iv, 4). E rursus, caput et corpus Christum et Ecclesiam unum Christum esse contestans, dicit: *Sicut enim corpus unum est, et membra multa, omnia autem membra corporis cum sint multa; unum corpus sunt. Ita et Christus* (I Cor. xii, 12). Unde et Corinthios male divisos, et texturam Dominici corporis schismatibus dirumpentes oburgans clamat: *Divisus est Christus?* (I Cor. i, 13.) Hanc quoque unitatem in sacrificio sacro sancto mysterio asserens designari. *Unus panis, inquit, unum corpus; multi sumus; omnesque de uno pane participamus* (I Cor. x, 17). Ita igitur omnes tam antiqui quam moderni, tam viventes quam dormientes, in Christo unus panis sumus, Christo incorporati et uniti, ut tamen omnes ad vitæ et salutis gratiam capiendam de uno participemur: illo videlicet qui descendit de cælo, et dat vitam mundo. Sic omnes sancti sunt lapides vivi, sed per eum vivificati; de quo illis per Petrum apostolum dicitur: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificami* (I Petr. ii, 4). Sic omnes efficiuntur lux, dicente Domino: *Vos estis lux mundi* (Matth. v, 14,) sed ex illo illuminati de quo Evangelista ait: *Ecce lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9). Sic ergo et unus panis existunt, sed illius participatione vitalem substantiam trahentes; qui dicit: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi* (Joan. vi, 41). Participantur quidem et communicant sibi invicem omnes fideles per societatem et communicationem spiritus, per unitatem fidei, spei et charitatis, dicente Apostolo: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis* (II Cor. xiii, 13). Omnis tamen hæc participatio et communicatio, quæ illis non utique de invicem sed ad invicem existat, ad illum tendit et ex illo solo vegetatur qui est fons vitæ, de quo beatus Joannes dicit: *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum, et communio nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo* (I Joan. i, 3). Christus enim Jesus caput et vertex Ecclesiæ, et idcirco ad vitæ æternæ commercium illi connectitur et cohæret, et in illum tota concurrunt Ecclesia, ut fonte capitis totum corpus irrigetur et vivat, dicente Apostolo: *Veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus: Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis,*

secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in eharitate (Eph. ix, 15, 16). Et iterum : Nemo vos seducat Eph. v, 6), volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per connexum et conjunctionem subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei. Hanc unitatem ineffabilem Ecclesiæ, id est corporis sui, ipse Dominus Jesus quem omnium caput significabat dicens : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor Joan. x, 16*). Pro hac adunatione et unitate corporis sui suscepit mortem, testante Evangelista. Quia Jesu moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios qui erant dispersi congregaret in unum, pro hac Deum Patrem, in qua nocte tradebatur, exorare dignatus est, dicens : *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos (Joan. xvii, 11)*. Et post pauca : *Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (Joan. xx, 21)*; et : *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut nos unum sumus, ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum (Joan. xxii, 23)*. Hæc est ineffabiliter mirabilis unitas Domini Jesu, et corporis ejus, quam nemini licitum est violare aut dividere, præcipiente lege de agno paschali : *Os non comminuetis ex eo (Joan. xix, 36)*. Vere enim, quantum in se est, os Agni nostri comminuit qui virtutem et robur tantæ compaginis infringit. Hujus unitatis mysterium, jam olim in Adam et Eva præfiguratum, et in novissimis temporibus in Christo, et in Ecclesiam revelatum Adam prophetavit; Apostolus exposuit, dicens : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (Ephes. v, 31)*. Sacramentum, inquit, hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia, quod ipse Dominus Jesus in Evangelio memorans adjunxit, dicens : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus junxit, homo non separet (Matth. xix, 6)*. Volumus scire quanta vigilantia cavendus sit, quantumque nefas præsumat, qui hanc unitatem violare ac dissolvere conatur? Audiamus beatum Joannem apostolum dicentem : *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus (I Joan. iv, 1)*. Audiatur ergo hoc etiam iste, qui ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non spiritum Dei sequens, sed spiritum suum, Jesum, quantum in se est, solvit ac dissipat, dividens eum in tres partes, in tres formas et in tria corpora. Audiatur, inquam, et æterno silentio conticescat : *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non*

est, et hic est antichristus. Audiamus et apostolum Paulum, nos in semel tradita fidei veritate solidantem atque dicentem : Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit (Gal. i, 9).

8. Ignoscat mihi indigno, o Domini venerabiles, vestra dilectio, quia hæc non superbiæ fastu, nec malitiæ alicujus instinctu, sed amore Ecclesiæ hujus dominæ et nutricis meæ loquor, cui non solum, prout Deus inspirare dignatur, exhortationis verbum, sed et omne debeo charitatis et pietatis obsequium; præsertim hoc tempore quo tam lacrymabili calamitate, peccatis nostris exigentibus, afflicta est, ut habeat episcopum sine potestate, magistrum sine veritate. Nunc ad finem sermonis commodum duxi paucas ecclesiasticorum Patrum sententias ponere, quibus adversus omnia fallaciarum commenta, quæ huic Ecclesiæ ineptus fabulator conatur ingerere, velut turribus et propugnaculis muniamur, fiatque in nobis, divina favente gratia, quod Apostolus optat et obsecrat dicens : *Obsecro autem vos, fratres, ut et id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sicut autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia (I Cor. i, 10)*; et iterum : *Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate radicati, et superædificati in ipso, et confirmati fide (I Col. ii 7)*. Itaque alio loco : *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera et miserationes, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam (Phil. ii, 1, 2, 3)*; et alibi : *Et si quid, ait, aliter sapitis, et hoc vobis revelavit Deus (Phil. iii, 15)*. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. Panem qui in mysterio sumitur, corpus et carnem Christi esse, imo ipsum esse Christum et Dominum, ex libro sancti Cypriani de oratione Dominica, panem nostrum quotidianum [invenimus.]

9. Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed Dominus noster est; et quemodo dicimus Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est; sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus eorum contigimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis, quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam ejus quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et dicente : *Ego sum panis vitæ de cœlo descendi; si quis ederit de hoc pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dederò, caro mea est pro sæculi vita (Joan. vi, 41)*. Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum sit eos vivere qui corpus ejus attingunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, extraneus remaneat a salute, com-

minante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. vi, 54), et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

Item ex tractatu psal. LXXX S. Hieronymi.

10. Vis accipere Domini cibos? vis comedere ipsum Dominum tuum et Salvatorem? Audi quid dicat: *Dilata os tuum, et implebo illud* (Psal. LXXX, 11). Dilatate ora vestra, ipse est et Dominus et panis. Ipse hortatur nos ut comedamus, et ipse noster cibus est; quantumcunque dilataveris, tantum accipies.

Item ex homilia sancti Augustini.

11. In altaris mysterio Dominum sumi, nec aliqua posse divisione partiri, qualem vocem Domini au distis invitantis nos. Quis invitavit? quos invitavit? et quid præparavit? Invitavit Dominus servos, et præparavit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? et tamen ait: *Qui manducat me, vivit propter me* (Joan. vi, 57). Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat quando manducatur. Reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare panem istum, ne forte finiamus illum, et postea quem manducemus non inveniamus. Manducatur Christus; vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit, et norunt fideles quemadmodum manducant carnem Christi. Unusquisque accepit partem suam; unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo; totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem. Implevit illam, nec recessit ab illo; veniebat in carnem, ut eum homines manducarent; et manebat integer apud Patrem, ut angelos pasceret. Quod enim scitis, et qui scitis et qui nescitis scire debetis. Quando Christus factus est homo, panem angelorum manducavit homo. Unde, quomodo, qua via, quibus meritis, qua dignitate panem angelorum manducaret homo, nisi creator angelorum fieret homo?

Item sancti Gregorii de eadem re, ex homilia Natalis Domini.

12. Qui ergo, æternus permanens, temporalis apparuit, alienum est ubi descendit; et, quia per prophetam dicitur: *Omnis caro fenum* (Isa. XL, 6), factus homo, fenum nostrum vertit in frumentum, qui de seipso ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (Joan. XII, 24). Unde et natus in præsepio reclinatus ponitur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab internæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent.

Item ejusdem in alia homilia de eadem re.

13. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus

suis. Fecit quod monuit, ostendit quod jussit, bonus pastor pro ovibus animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

Ejusdem de ea re ex Dialogorum libris.

14. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis morte Unigeniti per mysterium reparat: qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominatur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium sumitur.

Mysterium vestis Christi, id est corporis ejus, scindi non oportere; ex libro S. Cypriani de Ecclesiæ Unitate.

15. Dominus dicit: *Ego et pater unum sumus* (Joan. x, 30). Et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: *Tres unum sunt* (Joan. v, 7); et quisquis credit hanc veritatem de divina firmitate venientem sacramentis cælestibus hærentem, scindi in Ecclesia non posse hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordie inseparabiliter cohærentis, ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis Christum potius indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur ac dicit Scriptura: *De tunica autem, quia de superiori parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit* (Joan. XIX, 23). Unitatem ille portabat de superiore parte, id est de cælo et Patre venientem, quæ ab accipiente scindi omnino non poterat, sed totam semel et solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi. Contra denique, cum Salomone moriente regnum ejus et populus scinderetur, Achias propheta Jeroboam regi obvius factus in campo in duodecim scissuras vestimentum suum discidit dicens: *Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptrum, et duo sceptrum erunt ei propter servum meum David, et propter Jerusalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illuc* (III Reg. XI, 31). Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At verò, quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens divisa a possidentibus non est; individua, copulata, contexta, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam; cohærente sacramento vestis et signo, declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut au-

deat scribere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi?

16. Ille sacerdos vice Christi vere fungitur, quidquid Christus fecit imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre quomodo ipsum Christum videt obtulisse. Non est ergo quod aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinem; quærendum est enim ipsi quem sint secuti: nam, in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus; utique id non obaudire et facere oportet quod Christus facit, et quod faciendum esse mandavit, quando ipse in Evangelio dicat: *Si feceritis quod mando vobis, jam non dicam vos servos, sed amicos* (Joan. xv, 15). Et quod Christus debet solus audiri. Pater etiam de cælis contestatur dicens: *Hic est filius meus dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite* (Matth. xvii, 5). Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum esse putaverit, sed quod, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei virtutem. Cum per Isaiam prophetam Deus loquatur, et dicat: *Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas haminum docentes* (Matth. xv, 9). Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetit dicens: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (Marc. vii, 9). Sed et alio loco ponit et dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (Matth. v, 19). Quod si nec minima demandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis, et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliquid quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? Tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio, societasque sanctorum, universale sacrificium offertur Deo per sacerdotem magnum: qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatum est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, *ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam* (Rom. xii, 1), intulit post aliquanta: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (Ibid. 4, 5); hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus in Christo, demonstratur quod in eadem re quam offert ipsa offeratur.

Ecclesiarum diversitates fidei unitate constare, ex libris sancti Cypriani de unitate fidei.

17. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci charitate fun-

datum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt numerositas [al., universitas] licet diffusa videatur exundantis copię largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ubi arbore frange ramum, fructus germinare non potest; a fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa, illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

Non pro locis res, sed pro nobis rebus loca amanda, ex epistola S. Gregorii ad Augustinum episcopum Anglorum scripta.

18. Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritum. Sed mihi placet ut, sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite elige, et in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua quam de multis Ecclesiis colligere potuisti, infunde; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem deponere.

In vestibus et cultu ecclesiastico non supersticiosum mysterium præferri, ex epistola S. Celestini papæ ad episcopos Galliarum scripta.

19. Didicimus quosdam Domini sacerdotes supersticioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. *Et post pauca*: Amicti pallio et lumbos præcincli credunt se sanctæ Scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes una cum baculo in manibus teneantur? Habent suum mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis quam decet significatione serventur. Nam in lumborum præeinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur sic: *opera vestra luceant*, indicatur. Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, et procul a cæteris degunt. Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vorsatur. Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim sunt potius quam ludendi, nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Item S. Hieronymi de simplici ministrorum et sacerdotum ornatu, ex libris dialogorum Attici et Chri-
stoboli.

20. Adjungis gloriam vestium et ornamentorum Deo esse contrarium. Quæ sunt, rogo, inimicitiae contra Deum, si tunicam habuero mundiore? si episcopi, si presbyteri, si diaconi et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerit? Cavete, clerici, cavete, monachi, viduæ et virgines, periclitamini nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit. Taceo de hominibus sæculi, quibus aperte bellum indicitur, et inimicitiae contra Deum, si pretiosis atque nitentibus utuntur exuviis. In sacerdotio Ecclesiæ non mysticum vestium ornatum, sed splendorem querendum animarum, ipsa consecratio monstrat pontificis, ita se habens: « Deus qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cælestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret; et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda, posebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus, Domine, gratiam largiaris ut, quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. »

Falsos codices, et a fidei sinceritate discordes, in nullo usu lectionis habendos: quin potius igni tradendos, ex epistola sancti Leonis papæ ad Turibium Asturicensem.

21. Curandum ergo est, et sacerdotali diligentiae maxime providendum, ut falsi codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdiciendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ atque ignibus concremandæ, quia, quamvis sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis.

22. Hæc, domini venerabiles, tam de Scripturis sacris, quam de Scripturarum sanctarum dictis, sedula intentione collegi, ac reverentiæ vestræ audienda seu et legenda proposui, quatenus, ea et hujusmodi meditates, contra novellæ præsumptionis auctorem, qui, in similitudinem harioli et conjectoris æstimat quæ ignorat, fidei et veritatis firmitate munita dicamus cum Ecclesia: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine (Psal. cxviii,*

A 85). Atque intelligamus quam verum sit quod Spiritus sanctus Salomonis ore præcinit, dicens: *Multi sibi in novalibus patrum et aliis congregantur absque judicio (Prov. xiii, 23),* neque enim sic nostra calamitate et humilitate abuti debet, ut imitator insolentissimæ jactantiæ Naas regis filiorum Ammon, qui interpretatur *serpens*, dicere nobis, velut habitatoribus Jabes Galaad, oppugnator veritatis iste præsumat: *In hoc seriam vobiscum fœdus ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium Israel (I Reg. xi, 2).* Vere enim dextrum oculum conatur eruere, qui lumen rectæ fidei laborat extinguere. Utilius illi a nobis optandum est, quod parabolice per Salomonem dicitur: *Oculum qui subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ (Prov. xxx, 17).* Vere etenim subsannat Patrem, qui Filii dividit unitatem, testante ipso: *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum (Joan. v, 23),* et prorsus despicit partum matris suæ Ecclesiæ, qui mysterium redemptionis, quo ex ejus utero ad vitam gignitur, puritate sincera venerari contemnit. Expedi nobis in talem oculum, qui ducatum promittit luminis, et e contrario tenebris caligat erroris, præceptum evangelicum: *Si oculus tuas dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te (Matth. v, 29).* Cupit nequam iste oculus hæreditatem patrum auferre: nititur vineam ipsorum in hortum olerum commutare, id est, fortia et fructuosa ac meracissima eorum dicta vilibus et cito arecentibus ac decidentibus fabulis enervare; sed filii martyris lapidati respondeant ei cum Naboth: *Propitius mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum (III Reg. xxi, 3).* Si ob hujus responsionis honestam libertatem vel infamandi falsis testibus, vel etiam lapidibus obruendi essemus, habeamus Deum clementissimum consolatorem atque ultorem dicentem: *Si non pro sanguine Naboth et filiorum ejus quem vidi heri, dicit Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus.*

FINIT.

■■■

Epistola FLORI Lugdunensis diaconi ad Theodoni villæ concilium adversus libros Amalarii.

D Sancto et venerabili concilio, apud Theodoni villam habito.

Audite, Patres beatissimi et reverendissimi, a Deo convocati et in Deo uniti, propter Deum auxiliante ipso laborantes et laboraturi, atque in illo et cum illo post beatum laborem requieturi, audite ita ut audiat vos Deus, ac mementote Apostoli, rectores Ecclesiæ, exhortantis et dicentis: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo (Act. xx, 28).* Sermo de fide agitur, et catholica veritate, quam prælatus ecclesiæ Lugdunensis depræ-

vare et subvertere lingua et calamo non desistit, errorisque ac mendaciorum suorum vos ipsos vere-
rabiles Ecclesiae Christi oculos intantum socios et
complices esse confirmat, ut in publico Ecclesiae
nostrae conventu jactare ausus sit, ad hoc vos suis
persuasionibus in generali synodo fuisse perductos,
ut omnes manu propria suis ineptissimis libris sub-
scribere, et sic unanimiter sentire atque observare
velletis. Cui ego per majores natu respondi, non
solum me de tantis viris id credere nullatenus posse;
sed etiam mihi indigno, qui sum canis mortuus, et
pulex exiguus, tres prius digitos quibus scribimus
radicitus amputari vellem, quam errores hujusmodi
manus propriae subscriptione firmarem. Addidi
etiam quod si libri illi in bono concilio fuerint discus-
si et dijudicati, erunt procul dubio anathematizati:
quos etiam chorepiscopo Ecclesiae nostrae velut valde
utiles omnibus jussit transcribere; quos cum ego ex
parte aliqua relegissem, et mendaciis plenos delira-
mentisque vidissem, dehortatus sum ne hoc penitus
fieret, librosque suo quantocius auctori restituendos
admonui, metuens videlicet ne oves Christi, id est
simplices quosque, ex eorum lectione quaedam va-
nissima curiositatis scabies aspergeret, et ardentis
papulae diri erroris exurere. Collegi autem ipse ac
digessi in ordinem, propriisque sermonibus expli-
cavi nonnulla quae in generali presbyterorum concilio
proposuit, disseruit, commendavit, ex quibus ejus
vanitas contemptui, imo execrationi pateat. Sed ne
quis me falsa putet asserere, veniat liber illius
in medium, et sceditatem sui publice legentibus
atque audientibus denudabit, ex quo et ista, quae
sincerissimo examini vestro adjudicanda offero, ve-
rissime ab illo prolata probabitur, cum illic multa

A insaniora legeritis, testes sunt horum chorepiscopi,
testes archidiaconi, testes omnes qui aderant pres-
byteri Lugdunenses, a quibus haec continuo irrita
ac repudiata, imo plancta et plorata cognovi, cum,
divinis assueti fluentis, de lacuna lutulenta bibere
cogerentur, murmurantes in nequissimo pane do-
ctrinae, de quo Ecclesiasticus loquitur liber: *In ne-
quissimo pane murmurabit civitas (Eccli. xxxi, 29)*.
Et testimonium nequitiae illius verum est, nec vero
ille divina docet, sed sua concinnat et fabricat, et
juxta Salomonem, *in similitudinem harioli et conje-
ctoris aestimat quod ignorat (Prov. xxiii)*. Succurrite
igitur, Patres piissimi, succurrite animabus nostris
*Modicum enim fermentum totam massam corrumpit
(I Cor. v, 6)*, et, juxta quemdam patrem antiquum,
si quid in fide falsi admittitur, intrat putredo de ve-
neno serpentis, nascuntur vermes corruptionis, et
nihil integrum remanebit. Testis est mihi omnipo-
tens Deus, quia haec non impulsu iracundiae tan-
quam laesus exaggero, quae ab ipso statim exordio,
dum adhuc se mihi utcunque blandulum exhiberet,
dolere ac detestari coepi, nec divinae ordinationi seu
imperiali pia provisioni, quod ille forsitan jactitat
velut rebellis existens, cum id mea exiguitas nec
cogitare unquam poterit, sed erroris odio, et amore
veritatis, Ecclesiae quoque matris meae vulneribus
condolens, cujus uberibus ab infantia alitus sum, in
qua et administrationis locum, et doctrinae ac praed-
icationis officium indignus exercui. Certe vitam
ego egentissimus, vel etiam moriar, si placet: tan-
tum pateat vulnus, putridum, pateat sanies putrida;
et omnes qui hoc tabescunt contagio, vobis opitu-
lante Christo medicantibus, gravi vetero depulso,
optata gaudeant sanitate.

FLORI DIACONI MARTYROLOGIUM

(Vide *Martyrologium venerabilis Bedae, hujusce Patrologiae tom. XCIV, pag. 798, et ad
annum 876, Usuardi Martyrologium, in quibus eduntur Flori AUCTARIA*).

FLORI^a DIACONI

SERMO DE PRAEDESTINATIONE^b

(Bibl. Patr. max.)

Omnipotens Deus, quia verissime verus et solus
Deus est, omnino in sua aeterna et incommutabili
scientia praescivit omnia antequam fierent; sicut

(a) De Floro ejusque sermone haec habet Hincma-
rus in libro de Praedestinatione cap. vi, pag. 27.
• Hoc capitulum, sicut conferentes ex scripto Flori,
Ecclesiae Lugdunensis ministri, quod olim in Bonoilo
a venerandae memoriae Heriboldo episcopo Antissio-
dorensis accepimus, excerptum ex maxima parte in-
venimus. Quapropter utcunque a ratione non inve-

D Scriptura testatur, dicens: *Deus aeternus, qui es
absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam
fiant (Dan. xiii, 42)*. Praescivit ergo sine dubio et

nitur penitus alienum. De praescientia enim Dei ca-
tholicae fidei adversa non loquitur, » etc.

Idem in Praefatione ejusdem operis. « In capite
indicalorum sequentis operis sermonem Flori, quem

(b) Vide de hoc opere L. Cellotium S. I. P. in Hi-
storia Gotteschalci, libro I, cap. 26.